

(57.) Describit hoc inventum suum ipse Author in *Arte magna & nova Gravitatis & Levitatis*. V. etiam Dn. Sturmii Colleg. Curiosum Tentam. I. & Seligmanni Disputationem de Campana Vrinatoria Lipsiæ habitam.

(58.) Patet hoc è schediafmate quodam, quod Anno 1674. Londini Anglicè conscriptum prodiit, cum hac Inscriptione: *Brevis Relatio, itineris cujusdam per polum Arcticum, versus Japaniam, Chinam &c. demonstrati triplici experimento, unà cum responsionibus ad omnes, quæ via hujus itineris obtendi possent, objectiones. Nimirum (1.) navigatione quadam Amstelodamo versus polum, & 2. gradus ultra ipsum instituta, (2.) navigatione quadam ex Japania versus polum (3.) experimento aliò, à Magno Duce Moscovitico instituto, ex quo apparet, quod à Nova Zembla versus Septentrionem liberum atq; apertum mare sit, usq; in Japaniam & Chinam &c. &c. Unà cum mappâ quadam omnium propè Polum detectarum regionum: per Josephum Moxonium, Regiæ Majestatis Hydrographum, Londini, 1674.*

(59.) Ut nunc naves illas, quæ quovis vento ad loca destinata pervenire possunt, ut alias, quæ sub aquis vehuntur, & similia seculi nostri inventa sicco pede præteream, abripiunt me celeritate suâ naves illæ terrestres, ut ita loquar, sive *currus Batavorum velivoli* à Stevino inventi, in quibus sedens aliquis duarum horarum spatio septendecim leucas Hollandicas venti, velorumq; beneficio, tanta velocitate conficit, ut ab obviis & prætereuntibus agnoscere vix possit: nec ullus equus, ingenti licet celeritate præstans, illos cursu æquare valeat. Usus iis crebrò est *Mauritius Nassovius*, nec non cum aliis multis Arragoniæ Admiralius *Franciscus de Mendosa*. Usus iisdem etiam est *Grotius*, & in Inventorem eorum hoc eleganti lusit epigrammate:

*Velivolam Tiphys deduxit in æquora navim,  
Jupiter in stellas, ætheriamq; domum.  
In terrestre solum virtus Stevinia: nam nec  
Tiphys tuum fuerat, nec Jovis istud opus.*

(60.) Nempe cum quondam artifices Noribergenses eam magneticæ acûs declinationem in Civitate nostra haberent exploratam, planeq; indubiam, quod cuspis ejus Australis à lineâ meridiana ad occidentem 8. ferè gradibus discedat; hodierni observatores, eam ab illâ ortum versus ad quinque gradus nunc deflectere deprehenderunt. V. *Apollo ΤΕΤΡΑΤΕΧΝΗΣ*